



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Subsectio sexta. De diebus jejunii, abstinentia, Quadragesimæ, &c.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

inquietus tepidus religiosus, cui præ manna  
caelestium consolationum & gratiarum, quòd  
fastidire incipit, placet prior in sæculo libertas  
aut spurca voluptas. *Mors in olla vir Dei.* 4.  
Reg. 4. Amaritiem sustulit Elisæus injectâ faci-  
nâ, non vi farinæ naturali, sed supernaturali  
inditâ. S. Hostia devotè sumpta tollit amari-  
tiem cordis. *Ollam succensam ego video, & fa-  
ciem ejus à facie Aquilonis.* Jerem. 1. Scilicet  
malum veniens à Babylone, & evomens ignem  
in Judæam & vicina regna. Tales ollæ in pœ-  
nam peccatorum sunt hostiles exercitus sive ab  
Aquilone sive septentrione, aut alio de loco  
veniant. O quot ollæ succensæ in inferno!  
*Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus  
stulti.* Eccl. 7. Sicut enim spinæ tantùm crepant,  
fumum non diuturnam flammam submini-  
strant, nec carnes coquunt. Sic risus stultæ  
sive adulatoris nil boni efficit.

Cùm de instrumentis, quibus coquuntur ci-  
bi, ipsisque esculentis hætenus hîc sermo fue-  
rit, incidenter quoque agendum breviter de  
controversia, quam habemus cum Sectariis ra-  
tione ciborum certis diebus aut temporibus ab  
Ecclesia prohibitorum.

### Sublectio sexta.

*De diebus jejunii, abstinentia, Quadragesima, &c.*

1mò. **F**alsum est esse tantùm præceptum ho-  
minum abstinenti à certis cibis. Nam  
Gen.

Gen. 2. interdictus Adamo esus-fructus arboris scientiæ boni & mali. Et Levit. 11. prohibetur Israelitis esus variorum animalium, 2do. Antiqui Christiani jejunabant diebus Mercurii & Veneris. Romani teste Hieron. in Ep. ad Lucinum & teste Aug. Ep. 86. ad Casulanum addiderunt diem Sabbathi. Quid ergo moderni lividi obtrectatores incusatis rigorem Ecclesiæ Romanæ, quod à carnibus diebus Veneris & Sabbathi abstinere jubeat. Cùm fragilitati humanæ condescendens trium dierum in qualibet hebdomade jejunium in duorum per hebdomadem dierum abstinentiam à carnibus transmutarit: & hæretici Regentes varii ex motivo politico, v. g. ut piscatores etiam lucrum habeant, diem abstinentiæ à carnibus inducant. Placet doctrina omni sensualitati corporis illecebris, & sceleribus viam aperiens sub hoc prætextu; quod Christus abundè pro nobis satisfecerit. Sed nunquid ipse vult non obstante passione ac morte suâ, ut vim nobis inferamus? ut de calice passionis suæ nos quoque bibamus? si ad dextram ejus aut sinistram in regno Dei sedere appetamus, eò quod regnum cælorum vim patiatur, & violenti sive violentiam mortificatione gulæ, carnis, variarumque concupiscentiarum sibi inferentes rapiant illud. Nunquid ipsi hæretici Regentes jejunia indicunt ad benedictionem armorum suorum à Deo impetrandam, justamque ejus iram placandam? similia diplomata passim prostant. Nunquid Rex Ninive non tantum hominibus, sed & pecoribus in-

dixit jejunium, & sic subversionem urbis amolitus est? Jonæ 3. Nunquid sæpissimè Hebræi & in specie Judith humiliaverant animas suas in jejniis & orationibus? Nunquid Anna Luc, 2. jejniis & obsecrationibus serviebat Deo? Nunquid teste Raphaelè Archangelo: *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna?* Tob, 2. & demum nunquid modò etiam adversarii suos habent dies, quos vocant *Fast-Bett-und Bais-Täge?*

*Tertio.* Jejunium Quadragesimale teste Hieron. in Ep. ad Marcellam servant Catholici per traditionem Apostolorum in honorem Christi 40. dierum jejunium prædicationi suæ præmittentis. Et teste Basil, in hom. de jejunio hoc Jejunium servatum est in toto mundo, etiam inter medios armatorum exercitus. Inspice & lege in Breviario lectiones Quadragesimæ assignatas, & videbis ab omni retro antiquitate Quadragesimalia jejunia inculcata, imò & ex lege civili id perspicuum est. Sola lex 40. *diebus Cod. de feriis* perfundere rubore deberet nostros adversarios, nisi frontem jam dudum exuissent. Quisquis inter Sectarios honestatem ac ingenuitatem amat, consideret obsecro: an plus impressionis cuilibet æqui amanti hoc in genere facere debeant sancti Patres ac Doctores ab omni retrò antiquitate; an excuculati Monachi auctores sectarum, qui ut Veneri eò fortius litare possint, pinguibus semper carnibus ventrem infarcire malebant exosi ordinum suorum rigorem ac jejunia.

4to. Multum gloriantur Adversarii in textu Pauli 1. Timoth. 4. v. 3. *In novissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, prohibentes habere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverant veritatem, quia omnis creatura bona est, & nihil rejiciendum.* Sed bene docet S. Hieron. aliique Patres, quod hoc textu Paulus non potuerit reprehendere sive jejunia sive abstinentiam à certis cibis toties à Deo ipso præcepta approbata, & à sanctis viris in V. & N. testamento practicata, adde quod in 1. Conc. Jerosolymis habito, cui Paulus interfuit, jusserint ipsi Apostoli ab immolatis simulacrorum & sanguine suffocato, Act. 15. quæ tamen omnia etiam erant cibi à Deo creati. Sicut Gen. 9. v. 4. Deus Noemo ac filiis prohibuit, ne *carnem cum sanguine* comederent, nec etiam sanguinem seorsim. In quibus successu temporis dispensatum est. Rationem autem prohibitionis primitus factæ vide hinc in Tirino ad cap. 9. v. 4. Gen. & ad cap. 15. in Act. Apost. v. 20. Textus ergo Apostoli ab Hæreticis perperam citatus militat partim contra Hæreticos illos, qui conjugia damnabant, partim contra Manichæos, qui duo rerum statuunt principia bonum & malum, & à malo Deo varia docent creata esse, adeoque ea sumi non debere, partim contra eos, qui nimium etiam in Christiana fide noviter susceptâ quoad abstinentiam à certis cibis judaizabant.

*Architecti, Murarii, eorumque structura varia.*

**D**Ei edificatio estis, ut sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superedificat. Unusquisque autem videat, quomodo superedificet. 1. Cor. 3. Hoc cordi sumant Episcopi, Curatores animarum, Patres familias, Superiores in ordinibus religiosis.

*Civitates.*

**G**Loriosa dicta sunt de te Civitas Dei. Pl. 86. Cælum, Ecclesia, Civitas benè morata. Talem dicebat esse Carolus V. Imperator, ubi tria P. bonus Prætor, bonus Parochus, bonus Præceptor esset. Ad hæc attendant civitatum Domini. Addo ego civitatem eò feliciorē fore, si inter incolas quoque adsit quartum P. boni scilicet Patres-familias filios benè educantes, & domesticos benè gubernantes. Sicut enim à regimine urbis in sacris ac profanis bonâque instructione juventutis, ità & ab ejusdem educatione omnia bona privata & publica promanant. Non bona, sed infelix civitas vel communitas, de qua verificatur illud Mich. 3. *Principes ejus in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Propheta ejus in pecunia divinabant.* Tales sunt, qui sub prætextu pietatis variis superstitiosis mediis ad morbos hæc illa mala pellenda, vel bona procuranda simplicem populum emungunt. De variis urbibus

hibus hæresi, aliisque sceleribus paulatim infectis etiam ingeminari potest illud Is. 1. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena iudicii? iustitia habitavit in ea, nunc autem homicida corpus & animarum. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Pl. 126. *In civitate sanctificata requievi.* Eccl. 24. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Hebr. 13. *Nempè de qua dicitur Apoc. 21. Civitas in quadro posita est, aurum mundum, duodecim porte à quatuor ventis, ut scilicet omni nationi pateat. Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de celo.* Ibid. *Scilicet veram Christi Ecclesiam, cui opponitur descripta Apoc. 18. Va civitas illa magna Babylon, quoniam unâ horâ venit iudicium eius.*

*Oppida, iuguria, casa urbibus adfita.*

**L**och moratus est in oppidis, & habitavit in Sodomis. *Homines autem Sodomitæ pessimi erant & peccatores coram Domino nimis.* Gen. 13. Talis speciei sæpè pro dolor sunt popinæ in suburbiis, oppidis ac domibus urbi majori adfita, quò plebs & fœx hominum confluit diebus maximè dominicis & festivis. Dicunt homines ejusmodi, se diebus ferialibus labore continuo fatigatos diebus festivis debere recreationem aliquam habere. Sed, præterquam quod reflectere deberent, Deum vicissim jure summo exigere; ut, cum hebdomadæ integram iis pro

victu ac lucro sibi comparando relinquat, dies saltem dominicum aut festivum divino cultui mancipent. Quilibet æternæ eorum salutis amans favet iis honestam sine Dei offensa ejusque præsentis periculo refocillationem. Sed dolendum maximè, quòd, cum patres-familias deberent esse solliciti, ut assignato loco ac tempore honestæ cujusdam refocillationis à tabernis suspectis malâque societate arcerent domesticos suos filios ac famulos; ipsi sæpe cum uxoribus ac liberis tabernas non tantùm frequentent, sed & vias publicas quasi per modum processionis obsideant, quas pertransire vir honestus erubescit ob crapulas vomitus blasphemias, spurcos sermones, & facta indecentia. Ob quæ flagitia diebus festivis perpetrata Germania nostra, ut ex fide digna revelatione habemus, hæresis permissione à Deo punita fuit. Nunquid zelus honoris Dei, & tot animarum salus Regentes urbium, communitatum, ditionum commovere deberet ad tam infame malum, quantum fieri potest, eliminandum?

*Abraham fide demoratus est in terra tanquam in aliena in casulis habitando. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus. Hebr. 11. In ea & tu mente habitata, quàm diu in hac miseriarum valle degis. Derelinquetur filia Sion (omnis malorum congregatio) ut umbraculum in vinea (teges in quocustos vineæ degit tempore vindemiæ) & sicut tugurium in cucumerario. Il. 1. Sive loco, ubi crescant cucumeres, pepones, melones, quod*  
tugu-



tugurium collectis fructibus succendi solet.  
*Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen,*  
*quasi Sodomam fuissetis, & quasi Gomorraham similes*  
*essetis.* Il. 1. Ideo urbes, quæ per novos pro  
Deo & animabus à Domino exercituum submis-  
sos milites contra hæresin idololatriam, & vitia  
strenuè decertantes in fide Catholica & bonis  
moribus conservatæ sunt, sufficientes Deo gra-  
tias agere non possunt.

*Edificia & loca celebriora in urbibus, ut sunt*  
*Fora, Platea, Palatia, Gymnasia, Castella adfita,*  
*Arces, Munimenta, Mœnia, Valla, Mausolea,*  
*Sepulchra, Bibliotheca, Tempia; quæ duo ul-*  
*tima amplam suggerent materiam pro*  
*principalioribus in fide controversis.*

*Fora.*

*Vidi alios stantes in foro otiosos.* Matth. 20.  
Tales in foris urbium videntur multi so-  
cios sibi similes operientes, & post inutilia, va-  
na, detractoria, lasciva colloquia ad tabernas  
properantes aut alia illicita. Nam otium pul-  
vinar est Diaboli. Paulus Athenis prædicabat  
Christum etiam *in foro per omnes dies.* Act. 17.  
Hunc viri Apostolici imitantur Romæ & in aliis  
urbibus. Et meliùs est, ut ibi prædicent Chri-  
stum, quàm impudici histriones Diabolum,  
pravisque suis verbis ac gestibus corrumpant ju-  
ventutem. Stationem ibi sæpè non haberent,  
nisi nummos darent iis, quorum favore fora  
occu-

occupant. Famam & ventum aucupantes  
amant salutationes in foro, & vocari ab homini-  
bus Rabbi. Matth. 22.

Platea urbium.

**I**N plateis sicut cinnamomum & balsamum odo-  
rem dedit. Quasi myrrha electa dedit suavita-  
tem odoris. Eccl. 24. Talis est homo exempla-  
ris, religiosus, gressu ac moribus modestiam  
genuinam non Pharisaicam spirantibus, omnes  
ædificans, & per plateas urbis incedens. Et  
hanc etiam bonam pro sæcularibus Concionem  
esse dicebat socio suo cum eo plateas obambu-  
lans S. Franciscus Seraphicus. *Non defecit de  
plateis ejus usura.* Ps. 54. Hoc in Christianis ur-  
bibus sæpè verificatur de Judæis circumcisis  
propter lucrum à Magistratu toleratis, & etiam  
de Judæis incircumcisis, ut vulgò dicitur, sive  
baptizatis Christianis. De quibus sicut & de  
implicitis aliis sceleribus verificabitur illud Ps.  
17. *Ut lutum platearum delebo eos.* Sponsa Cant.  
7. *quærit dilectum suum per vicos & plateas.* Tu  
Deum tuum in omni loco. *Exi citò in plateam  
& vicos civitatis.* Luc. 17. Operarie facer, ut  
quæras & adducas animas ad cælestes nuptias,  
dextrèque persuadeas, ut nec villas nec juga  
boum emens, nec uxorem ducens se ab iis ex-  
cusset. Et hic sit scopus excursionum tuarum,  
non vana, inutilis ac curiosa conversatio. *Pla-  
tea ejus aurum mundum.* Apoc. 21. Si ames in  
tali habitare urbe, cur non crebriùs aspiras ad  
cælum?

cælum? *Noli circumspicere in vicis civitatis, ne oberraveris in plateis illius, Eccl. 9. Otiosus & vagus Gassen-Tretter. Ne Diabolus occasionem & materiam habeat ad varia te peccata inducendi.*

*Palatia.*

**E***Ram florens in palatio meo, & cogitationes mea in stratu meo, & visiones capitis mei conturbaverunt me. Dan. 4. Sic in Palatiis habitantes sæpè plus phantasiis tetricis, in somniis, aliisque pungentibus curis turbantur, ac habitantes in casis ac tuguriis. Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit David Regi filium sapientem, ut edificaret domum Domini, & palatium sibi. 2. Paral. 2. Sic benedicendus Deus à regni incolis, quibus dedit Regem, qui primò quaerit gloriam Dei, dein sua honesta statumque suum decentia commoda, nec ædificat pompa varia & mox destruit. Unde exhauriuntur æraria, & nummi pro necessariis utilioribusque rebus defunt. Ædificiis à Salomone extractis nil fuit in orbe simile, & tamen jam nec umbra ex iis restat. Sic omnia vanitas. Utinam quia omnis homo ibit in domum aternitatis sue, Eccl. 12. major magnis Dominis cura esset pro mansionibus in vita altera & totâ aternitate habendis. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt (Palatia, ædes magnificæ) sed beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. Pl. 143. Talis populus habitat in religiosorum domibus.**

Cri-

Critizant Sæculares aliqui, quòd religiosorum domus sæpè sint tam magnificæ ac Palatia. Sed præterquam, quòd inclytus ille Bavarix Dux Gulielmus dicere soleret pro servis Dei nil satis magnificum extrui posse, hoc nihil ad me, nec ad critizantes, qui nil ad id contribuunt, & ratione maledicentiæ aut livoris non sunt laudandi. Suppono 1<sup>mo</sup>. Quòd, dum magnificæ ædes religiosæ constructæ sunt, merces operariorum non sit defraudata, nec sine justa causa contracta debita. Restant autem multa vel omnia sæpè solvenda à Magnatibus, qui magnificæ extruxerunt palatia; dum propria ac subditorum æraria sæpè sunt emuncta, & debita contracta cum damno irreparabili. Suppono 2<sup>do</sup>. Quòd viri religiosi in magnificis habitantes ædibus non evanescent in cogitationibus suis, disciplinam ac regulas servant, nec sit in tam amplo ædificio monstrantia magna, ut vulgò dici solet, sine reliquiis, sed viri id incolant virtuosissimi, docti in vario scientiarum genere, omnique Christianâ ac decente politia exculti; & maxime in eorum præsidibus nil minus culti aut subrustici appareat. Sic enim & in religionem ipsam, & in publicum multa ex talibus domibus redundabit utilitas.

*Castella, arces, munimenta, moenia, valla.*

**I**ter faciebat per civitates & castella prædicans  
& evangelizans regnum Dei; & duodecim  
cum illo. Luc. 8. Sic ad exemplum Christi &  
Apo-

Apostolorum non propter interesse aut commoditatem ac recreationem præcisè propriam nobiles in castellis suis à viro Apostolicæ vocationis invisendi sunt ; sed ut illis occasione ac opportunitate datâ secundùm praxin SS. Ignatii & Xaverii evangelizetur regnum Dei. Materia discursûs inter cætera esse potest , quæ Luc. 13. à Christo tractata fuit , dum *per castella* doceret , & ibidem aliquis eum interrogaret : *Domine, si pauci sunt, quæ salvantur ? ipse autem dixit ad illos, contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, querent intrare, & non poterunt.* Sermo ille gratus est multis à virtute non minùs quàm proficiã verè nobilibus utriusque sexûs, & solidos discursus amantibus ; non autem à nobilitate sua purè ebriis aut infatuatis, ambitiosis, commoditates carnis & crapulam amantibus in castellis suis, quibus cum propinatione majoris vitri solenne est adagium : *Sparenstreich zum Himmel zu.*

*Sapientia edificavit sibi domum* [ Ecclesiasti in terris usque ad finem mundi duraturam ] *misit ancillas suas* [ Chaldæus puellas 70. interpretes Servos nominant, puta Prophetas Apostolos ] *ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis.* Prov. 9. Ubi nota, quòd eadem Ecclesia, quæ *domus* dicitur ob caritatem & unionem incolarum, *arx* propter munitionem & altitudinem seu perfectionem, quam continet, docet & donat, *civitas* propter amplitudinem nuncupetur. *Munimenta sublimium murorum tuorum concident, & humiliabuntur, & detraheantur*

hentur in terram usque ad pulverem. Il. 25. Hoc contigit Jerosolymæ, & tot fortissimis ex post Christianorum munitionibus, quas Deus in pœnam peccatorum per Turcas aliosque Barbaros solo æquavit, & in nihilum redegit. Sic quoque intellige illud Ps. 88. *Destruxisti omnes sepes eius* (septa & munimenta regni) *posuisti firmamentum eius formidinem*. Hoc est, fecisti ut in ipsis firmis munitionibus trepidarent, vel etiam inter eos fortiores ac generosiores, & quasi eorum firmamentum panico terrore percellerentur. *Circumdabunt te inimici tui valles, & coangustabunt te undique*. Luc. 19. Symbolum animæ peccatricis in agone à Dæmone & malâ conscientia oppugnata.

*Gymnasia, Mausolea, Sepulchra.*

**J**ason ausus est sub ipsa arce [ Jerosolymæ ] *Gymnasium* [ pro addiscendis ritibus gentilium ] *constituere & optimos quosque ephorum in lupanaribus ponere*. 2. Machab. 4. Sic Gentiles & Hæretici semper conati sunt Catholicos carnis voluptatibus dementare, & à vera fide abducere. *Benedicta Gymnasia Catholicorum, in quibus præter omnigenas scientias boni mores, vera fides, timor Dei & virtutes edocentur.*

*Mortuus est [ Josias ] & sepultus in Mausoleo Patrum suorum, & universus Juda & Jerusalem luxerunt eum*. 2. Paral. 35. Principes pii, quorum mors ob pium ac mite regimen deploratur.

à subditis, post mortem merentur tales honores. Sed quid juvat in peccatis mortuos, ut eunque magni sint, quòd corpora eorum balsamo delibuta regio aut militari cultu in lecto pomposo aliquot diebus prostent, & demum magnifico inferantur Mausolæo, dum durantibus hisce pompis ac cærimoniis jam tum animæ eorum cremantur in inferno. *Vocatus est locus sepulchræ concupiscentiæ.* Num. 11. Ubi nimirum mortui ac sepulti, qui coturnices voraverant, & carnes præ manna appetierant. Symbole hominum, qui curvas in terram habent animas & cælestium inanes. *Solum mihi superest sepulchrum.* Job. 17. Hoc dicere possunt clientes mundi, dum divitias, subditos honores, voluptates deserere debent, & tunc sed serò nimis omnia esse vana agnoscunt. *Similes estis [Pharisæi exteriùs simulantes devotionem] sepulchris dealbatis.* Matt. 23. intrinsecus plenis serpentibus. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Rom. 3. fraudulentorum, lascivorum, &c. *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam? nunquid cognoscentur in tenebris (apud inferos, ubi est tenebrarum regio) mirabilia tua, & iustitia in terra oblivionis?* Pl. 87. Magnates enim utcunque pomposè sepulti intra breve tempus traduntur oblivioni. Quàm autem felices sunt, de quibus verificatur illud Eccl. 44. *Corpora eorum in pace sepulta sunt, & nomina eorum vivent in secula.* Quàm gloriosum est hominis istius sepulchrum, cujus anima in cælos recepta in extremo die glorioso unietur

tur corpori ex sepulchro resurgenti, & collocabitur ad dextram Judicis æternum Deo fruitura. Diogenes ossa mortuorum hinc inde vertens Alexandro dicebat, se non invenire discrimen inter ossa Regum & Plebeorum. Tunc quilibet magnam videbit differentiam inter resurgentes etiam ex eodem sepulchro. Hoc serio pensent, qui pro anima parum solliciti tam sollicitè provident, ut fœtenti post mortem corpori exhibeantur honores. *Erit sepulchrum ejus gloriosum. II. 11.* Hoc de materiali Christi sepulchro imprimis verum est. Cùm, sicut olim infinitis miraculis claruit, & ab Imperatrice Helena nobilissimo templo exornatum fuit, ita & usque huc ad illud licet in media Turcarum barbarie situm perpetuus sit peregrinorum fidelium accursus. Cæterùm hebraicè & græcè l. e. habentur hæc verba: *Erit requies ejus in gloria.* Unde *sepulchrum* hic non tam locum significat, in quo positum sacrum Christi Corpus, quam ipsam ejus gloriosam mortem nostræ vicissim quietis sempiternæ causam.

*Bibliotheca.*

*In quibus libri sacri, profani, impressi, manuscripti de omni scibili.*

**S**AEPÈ hæc sunt publica & pomposa ædificia, Varii Reges, Gentiles, Christiani, divites & Magnates habuerunt, & adhucdum habent desiderium insatiabile, ingentem librorum cujusvis generis copiam coacervandi. Sed vanitas  
sape



sapè est & stultitia, quòd ipsi indocti sint, & nihil ex toto librorum acervo intelligant vel ediscere studeant. *Accipe librum, & devora illum.* Apoc. 10. Hoc est lege, perlege. *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Apoc. 20. *Gaudete, quòd nomina vestra scripta sunt in calis.* Luc. 10. Hoc optimum *manuscriptum.* *Nemo poterat aperire librum.* Apoc. 5. Nisi Agnus, sive condignè satisfacere pro peccatis nostris nisi Deus incarnatus, & per hunc liber vitæ & oclusæ cæli januæ humano generi apertæ sunt. Damnum per totam æternitatem non rescarciendum, quòd plurimi homines propriâ malitiâ has sibi denuò occludant. *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur.* Benè reflecte indies, quid in eo de tuis cogitationibus, verbis, operibus adnotetur tempore quolibet. Ex libro regularum ordinis tui tu religiose præterea judicaberis, sicut Christianus quilibet ex libro mandatorum Dei & Evangelio. Eò unicè collimet quivis, ut nomen suum inveniatur scriptum *in libro vitæ.* Duplex est liber iste teste D. Thoma 1. p. q. 24. art. 3. unus omnium illorum, quibus ratione justitiæ, quam actu habent, vita debetur æterna. Alter eorum, qui pro æternitate prænoscentur à Deo justii saltem in fine vitæ futuri, & vitâ æternâ re ipsâ potituri. Et hi sunt soli prædestinati nunquam eradendi. Dum Moyses dixit Exod. 32. v. 32. *Dele me de libro vitæ quem scripsisti.* De utroque libro sive tam de carentia beatitudinis

dinis æternæ quàm de jactura justitiæ præsentis  
 intelligi potest, non quòd efficaciter alteru-  
 rum vellet, sed solùm hypotheticè. Casu  
 quo citra culpam ullam illud posset esse utilis  
 medium ad veniam populo Israelitico obtinen-  
 dam, ne Deus in æternum illum abjiceret, &  
 disperderet ob adoratum vitulum aureum. Hu-  
 jusmodi desideria licet inefficacia ad agendum  
 virorum sanctorum maximi sæpè sunt meriti &  
 efficaciz ad id, quod petitur, à Deo impetran-  
 dum. Sic Paulus ad Rom. 9. dicit: *Optabam*  
*ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.*  
*Affer tecum libros, maximè autem membranas.*  
 2. Tim. 4. Per *libros* intelligit Apostolus volu-  
 mina S. Scripturæ alienâ manu descripta. Per  
*membranas* similia propriâ manu exarata, nem-  
 pè mox moriturus similibus legendis immori-  
 volebat. Felix quem mors sive in oratione, sive  
 in occupatione ejusmodi sacra deprehendit. Sic  
 Sancti Ambros. Augustinus, Beda commenta-  
 rioni in Psalmos immortui sunt. Infelix qui-  
 dam Apostata in Anglia, cùm morti proximus  
 inveniretur occupatus in terendo Plinio, & mo-  
 neretur, ut ejus loco S. Scripturam legeret, re-  
 posuit se in isto plus succi quàm in hac inveni-  
 re. Sic lapsu semper graviore homines miseri-  
 ruunt in tartara.

Porro quia quilibet prudens Bibliothecæ suæ  
 augmentandæ inhians inter cætera vel maximè  
 studet; ut antiquiores habeat codices sacros, è  
 quibus manifestè deprehendi potest, quomodo  
 Scriptura sacra à Luthero, Calvino, aliisque  
 nova-

novatoribus corrupta sit, & absque eo operæ pretium est eam non tantum perlegere, sed & aliquid ex fundamento scire de iis controversiis, quæ nobis ratione S. Script. ejus librorum, ejus versionis & sensus sunt cum Hæreticis. Hinc de iis hinc incidenter agendum.

### Subsectio septima.

#### *De controversiis ratione Sacra Scriptura.*

Quatuor hinc examinanda. *1mo.* An vera Dei Ecclesia sine S. Scriptura subsistere possit. *2do.* Unde eam extare constet, & hos illosve libros esse Canonicos. *3tio.* Unde constet hanc illam versionem esse legitimam. *4to.* An Scriptura sit clara, & textuum Scripturæ sensus sit clarus & quis.

*1mo.* Ecclesia vera Dei fuit ante S. Scripturam sive scriptum Dei verbum. Vigente enim lege naturæ absque illa circiter duobus millibus quadringentis octoginta tribus annis usque ad Moysen Ecclesia floruit, & viros sanctos, ut Abel, Henoeh, Noë, Abraham, Isaac, Jacob, &c. nullis extantibus libris aut verbo Dei scripto, sed purâ putâ traditione instar hæreditatis veluti per manus à Parentibus datâ filiis, generavit & generatos enutrivit. Postquam autem Moyses ea, quæ primis mundi sæculis contigerant, & legem, quam à Deo acceperat, in codices redegisset, & plures alii Prophetæ sibi divinitus factas revelationes litteris mandâssent,